

quod animum habuerit repetendi dictas expensas, cum non sit credibile, quod voluerit pater unum filium ditare cum magno detrimento aliorum. Navar., cap. 17, n. 163; Bonacina, *loco cit.*, n. 15, et ipso teste alii communiter. (56. Sic e contra, si pater dilapidaverit bona adventitia unius filii, alii fratres in divisione tenebuntur compensare, cum obligatio ex justitia transmittatur ad hæredes, et hæreditas, seu res transeat cum suo onere. L. Alienatio, ff. De contrahend. emptione, l. Pomponius, § Cum quis, ff. De acquir. poss., l. Via constituti, § Quicumque, ff. De servitut., l. Fiscus 6, ff. De jure fisci, Clementin. 1, De censibus, cum similibus; Emmanuel Sa, verb. Hæreditas, n. 45; Bonacina, *loc. cit.*, num. 13 in fine, et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. Inter fratres potest esse communio tantum mensæ fructuumque bonorum patrimonialium, tum potest esse societas universalis. (58. Ex hoc autem solum, quod fratres concorditer vixerint, promiscue, ac pro indiviso bona possederint, vix habetur communio mensæ et fructuum bonorum patrimonialium. (59. Quinimo id procedit, etiamsi adsit pactum, ut omnia lucra et damna sint communia; quippe quia potest pactum hoc verificari in bonis tantummodo patrimonialibus, quorum respectu inter ipsos erat communio. Confer Rotam, in Romana seu Spoletana fideicommissi 1 Februarii 1734, § 7 et plur. sequent., cor. bon. mem. vicecom., et 4 Julii 1765, § 9 et duob. sequent., cor. illustriss. Figueroa.

SODOMIA.

Vide verb. LUXURIA, a n. 50 ad 63.

SOLEMNITATES PRO ALIENANDIS REBUS ECCLES.

Vide verb. ALIENATIO, art. 2

SOLEMNITATES CONTRACTUUM.

Vide verb. CONTRACTUS per tot.

SOLIDUS.

Vide verb. CATHEDRATICUM, n. 4, et verb. DONATIO, art. 1, n. 30.

SOLLICITATIO AD TURPIA.

ADDITIONES CASINENSES.

Ad tradita ab auctore, sub v. CONFESSARIUS, art. 7.

(65. Ad majorem illustrationem eorum, quæ a Lucio nostro circa materiam sollicitationis tradita sunt sub v. CONFESSARIUS, art. 7 per tot., lubet hic afferre constitutionem Benedicti XIV, incip. Sacramentum Pœnitentiæ cum declaratione super eadem constit. aliisque ad rem notandis, hoc sane pacto.

(66. « BENEDICTUS, episcopus, servus servorum Dei.

« Sacramentum Pœnitentiæ, quam secun-

(60. Societas vero universalis, per quam omnia tum industriæ, tum fortunæ lucra communicantur, vel requirit expressam conventionem, vel deducenda est ex necessariis actibus et argumentis, de quibus vide Rotam, in Romana hæreditatis super fidejussione 6 Maii 1751, § 5, coram eminentissimo Bussio. Adde etiam idem supremum tribunal in dict. Romana seu Spoletana fideicommissi 1 Februarii 1734, § 5 et 7, cor. bon. mem. vicecomit., et 4 Julii 1755, § 9, cor. illustriss. Figueroa.

(61. Num acquisitio proprio nomine facta ab uno ex fratribus excludat inter ipsos societatem universalem? Quæstionis est. (62. Obtinuit distinctio, quod si certo constet, et quidem vel expresse vel tacite, de societate universali, eam minime excludat mox dicta acquisitio, quia tunc proprio nomine acquirens, communi sociorum nomine acquisivisse videtur. (63. At si de societate universali, nec ex conventionem expressa, nec ex argumentis indubiis constet, præfata acquisitio iurget in ejus exclusionem. Michalor., De fratrib., part. II, cap. 17, n. 16 et sequent.; Constant., ad statut. Urb., annot. 21, n. 41; Rot., in Spoletana divisionis bonorum 5 Februarii 1745, § 12, et in Reinceten. communionis universalis 25 Junii 1747, § 6, utraque cor. bon. mem. vicecomite.

(64. Ex indole societatis universalis res communi periculo ita pereunt, ut unus alteri ex sociis non nisi de inexcusabili culpa, probatoque dolo teneatur. Rota, in Romana hæreditatis super fidejussione 5 Maii 1751, § 6, cor. eminentissimo Bussio.

dam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Nos licet immerentes ad universi Dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfrugium, per dæmonum fraudem et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium: et quod in salutem et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorundam sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§ 1. « Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV, prædecessore nostro, per suas litteras in forma brevium sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xxx Augusti 1622, Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscuque sacerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia et inhonesta sollicitantes: et deinceps successivis temporibus ad eorum litterarum interpretationem ac declarationem plura subinde a congregatione vener. Fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium inquisitorum sub die xi mensis Februarii anno Domini 1661, prodierunt decreta, et a rec. mem. Alexandro Papa VII, pariter prædecessore nostro in congregatione generali Sanctæ Romanæ universalis Inquisitionis die 24 Septemb. 1675, coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate, et sanctorum Patrum doctrina alienas et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandæ, damnatæ et prohibita fuerunt. Nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum interessit, ne aliqui sacerdotes pœnitentiæ sacramento nefarie abutentes pœnitentibus pro euratione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant; sed animo secum recolentes, se a Christo Domino præsidem et iudices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum sacramentum administrant: motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra præfatas litteras hujusmodi, ac omnia et singula decreta prædicta ad illarum interpretationem et declarationem emanata, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus hæreticæ pravitatis inquisitoribus, et locorum ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiarum et locorum universi orbis Christiani in suis respective diocesis, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquireant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes, tam sæculares quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcunque ordinum, institutorum, societatum et congregationum, et cujuscunque dignitatis et præminentia, et quovis privilegio et indulto munitis, qui aliquem pœnitentem, quæcunque personam illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provo-

FERRAR. VII.

care, sive verbis, sive signis, sive nutibus sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tenaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint: et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repperint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii prædecessoris nostri constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme et Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum, impunitum, jam alias in præfata constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia et alia adminicula concurrant.

§ 2. « Meminerint præterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere juxta obligationem denunciandi inquisitoribus, sive locorum ordinariis prædictis, personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit, aut sollicitatio a confessario, non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.

§ 3. « Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcunque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios imple calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocunque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, præterquam a Nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis et successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

§ 4. « Demum magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii et sacri tribunalis san-

ctitate omnem turpitudinis occasionem, et sacramentorum contemptum, et Ecclesiae injuriam longe submovere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, daemone potius, quam Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et aliorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus episcopis per synodales suas constitutiones jam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus cujuscunque ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio, et indulto, etiam speciali expressione et specialissima nota, et mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, et nostrae potestatis plenitudine interdiciamus, et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremam necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicitis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quocunque auctoritate et jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei, per praesentes has Nostras adimere intendimus: et nihilominus si quis confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, a qua absolventi potestatem nobis solis, nostrisque successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§ 5. « Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscunque jubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur *Cruciatæ sanctae*, aut alterius cujuslibet Indulti, confessionem dicti complicitis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati et poenitentis genere, jurisdictione, ut praefertur, careat, et absolventi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo et approbato. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, praesertim, quae nuncupantur *Cruciatæ sanctae*, vel Jubilaei universalis, et plenarii, nec non quibusvis ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam juramento,

confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus eorum tenores praesentibus pro expressis habentes hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

§ 6. « Volumus demum, ac praecipimus, ut omnes locorum ordinarii, tam praesentes quam futuri pro tempore existentes in approbatione confessariorum, tam praedictam constitutionem Gregorii praedecessoris, quam praesentem hanc nostram ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi, et accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, iudicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut ministris Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Memores praeterea sint, se locum tenere, ac vices obire summi atque aeterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quaerentibus et pulsantibus eorum culpa caelum claudatur, ne deperditae oves ad ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandae tradantur, ne prodigi filii egentis, et saucii ad caelestem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§ 7. « Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae principis Apostolorum, nec non cancellariae Apostolicae, curiaeque generalis in monte Citatorio, ac in Aede Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 8. « Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae voluntatis, sanctionis, praeepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum

Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1741, Kal. Junii Pontificatus nostri anno primo.

« X. subdatarius.

« Pro domino cardinali Passioneo.

« GAETANUS AMATUS. »

(67. DECLARATIO

Super constitutione praecedenti contra sollicitantes.

« Benedictus Papa XIV, ad futuram rei memoriam.

« Apostolici muneris partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum se veritate, ut ab ecclesiasticis quibusque ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alteram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communitur, ac roborare pro eorundem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non praetermittimus.

§ 1. « Sane cum Nos alias quandam nostram constitutionem, cujus initium est, *Sacramentum Poenitentiae*, anno Incarnationis Dominicae 1741, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno primo editam, omnibus et singulis sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus interdixerimus et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremam necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicitis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere, auderet, ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla atque irrita omnino esset tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione et facultate ad valide absolvendum necessaria ipsi per Nos vigore ejusdem constitutionis adempta privatus existeret, et alias prout in memorata constitutione, cujus tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictae constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque iudicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis conjecturis et opinionibus jactata in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrabatur, ejusque rigor paulatim langueat atque enervetur.

§ 2. « Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, memoratam constitutio-

nem Nostram omnibus et singulis in ea contentis tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre penitus, et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus. Praeterea habita super his cum venerabili Fratrem nostro Vincentio episcopo Praenestino Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Petra nuncupato, poenitentiario Nostro majori, ac dilectis filiis officii poenitentiarum Apostolicae ministris, qui rem jussu nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus edicimus ac declaramus, eadem constitutione singulis, ut supra sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicitem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, ita interdicti reipsa, et prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiam si forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere, ac absolutionem impertire.

§ 3. « Porro, si casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari aut accedere sine gravi aliqua exortura infamia vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram constitutionem inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae, aut scandali pericula sibi ultro ipso contingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel remove oportunitis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia vel scandalo audiendae. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae nostrae constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse distincte mandamus et praecipimus.

§ 4. « Quod si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit: aut ubi infamiae vel scandali periculum timeatur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere in dicto crimine complicitis, eoque in articulo mortis, ut praefertur, constitutae, sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut pra-

mittitur, necessaria causa cogente præsumperit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint (non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti quantumvis indigno necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat), nihilominus sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctæ Sedi reservatam incurrat, prout illum eo ipso incurrare declaramus, volumus atque statuimus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quæ in præfata nostra constitutione volumus non obstat, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 5. « Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die octava Februarii 1745, Pontificatus nostri anno quinto.

« D. cardinalis PASSIONEUS. »

(68. DECRETUM

Contra sollicitantes, et sacrificio missæ abutentes ad sortilegia.

Feria 5 die quinta Augustini 1745.

In generali congregationis sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram D. N. D. Benedicto divina Providentia Papa XIV, et eminentissimis ac reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus adversus hæreticam pravitatem inquisitoribus generalibus, a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis:

Sanctissimus D. N. sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto missæ sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum sacerdotes tam sæculares quam regulares cujuscunque ordinis, instituti, congregationis et societatis etiam de necessitate exprimentæ vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, et Apostolicis constitutionibus, ac signanter S. mem. Sixti V et Gregorii XV, contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati sacrificii celebrationem, quodque ejusmodi decretum significetur singulis cujuscunque ordinis superioribus ac præpositis, ad hoc ut de illo, sicuti et de prædictis, aliisque

summorum Pontificum constitutionibus, juxta præscriptum in generali decreto supremæ Inquisitionis, die 13 Decemb. 1733, semel saltem in anno, id est feria vi, post Octavam Assumptionis beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper quocunque generali, vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu suos subditos ac religiosos commonendos curent, ejusdemque commotionis coram suprema congregatione juratum testimonium exhibeant.

(69. Aliqua alia supremæ Inquisit. decreta quod attinet. P. Laurent. Cozza in dubiis selectis circa sollicitationem refert: sunt porro hujusmodi, pag. 19: « Paulum V, sub die 29 Novembris 1612 declarasse, quod etiam ex vi constitutionis Pii IV, comprehenderentur sollicitantes masculos: et ita rescripsisse cardinalem Mellinum an. 1613 sub die 28 Februarii ad Petrum Castillo inquisitorem generalem Lusitanæ. » Pag. 62 in eadem congregatione: « improbatam fuisse opinionem, quæ ab onere denunciandi pœnitentem eximit, si cum confessario convenit in simulatione confessionis, ut liberius de rebus inhonestis tractarent. » Pag. 32: « die 21 Febr. 1661, improbatam fuisse opinionem illorum, qui contendebant, non esse denunciandos sacerdotes, qui propter alterius sollicitationem abjuraverint. » Pagina 164, decisum fuisse 17 Novembris 1624, « confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denunciandos seipsos. »

(70. Hæ insuper sunt propositiones ab Alexand. VII 24 Septembris 1665, damnatæ: « 1. Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus; 2. Modus evadendæ obligationis denunciandæ sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

(71. « Quæritur, an sit denunciandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti in confessione? Affirmant Salmant., et aiunt, contrariam sententiam non esse probabilem post Bullam Gregorii XV, ubi expresse sunt denunciandi non solum confessarii sollicitantes, sed etiam inhonestos tractatus habentes; et idem sentiunt Mazzot... Concina., Potestas... item Salmant... cum Dian., Leand., Sousa, etc. — Negant vero Bonac., Palaus..., Escob..., cum Acunna, Hurtad., Sousa et Sanctarell., item Prado, Bordon., Homob. et Trull. apud Salmantic... Ac Roncaglia... ad hanc sententiam inclinare videtur, dicens cum Bordon., Sanctarell., etc., quod rationi a Salmant., allatæ responderi possit, verba Bullæ intelligenda esse de tractatibus turpibus, quorum confessarius sit auctor. Atque Diana... hanc probabilem, ac tutam dicit. At mihi pro dicta sententia alia ratio occurrit, quæ habetur apud Bonaciu. et quæ potior videtur.

« Ratio est, quia ex Bulla eadem Gregor.

mandatur confessariis, ut moneant de obligatione denuntiationis, non jam quoscunque pœnitentes, qui cum confessariis inhonestos tractatus habuerint, sed illos, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos; quare inferitur, quod pœnitens licite, si velle, posset confessarium in dicto casu denunciare, juxta primam probabilem sententiam, sed videtur probabilius, ad hoc pœnitens non obligari; quia, ut ipse obligationem subeat denunciandi confessarium, requiritur, ut fuerit ab illo sollicitatus. Etsi igitur confessarius non eximitur a crimine ob inhonestum tractatum in confessionario, eximitur tamen pœnitens ab obligatione denuntiationis, dum non reperitur sollicitatus. Et recte censetur, noluisse Pontificem obligare pœnitentes ad denunciandum confessarios, quos ipsi tentaverint, ob magnam difficultatem, quæ deterreret pœnitentes ad denunciandum in isto casu, quo peccatum ab ipsis causam habuerit; tum quia, si denuntiarent, valde periclitaretur eorum fama; tum quia lex nimis ardua tunc eis redderetur.

« Quidam Neotericus scripsit præfatum opinionem fuisse proscriptam a Benedicto XIV, per Bullam Sacramentum... Sed perperam id asseruit; nam Pontifex ibi tantum dixit denuntiationem esse faciendam, etiamsi inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit. Longe autem differt sollicitatio mutua, ab ea, quæ fit a muliere, et cui confessarius consentit, cum DD. valde distinguant primum casum ab altero... ubi dicunt sollicitationem mutua tum evenire, cum confessarius sollicitatus a pœnitente ad unam turpitudinis speciem, ad aliam, mulierem sollicitat, aut etiam cum confessarius a pœnitente sollicitatus prius dissentit, et sermonem divertit, et deinde post aliquod intervallum ipsam sollicitat; atque in his casibus mutua quidem sollicitationis auctores aliqui, ut Castrop., Peyrin. et Acunna sentierunt, non adesse obligationem denunciandi; et hæc est opinio, quæ a Pontifice damnata fuit, et quidem juste: in hujusmodi enim casibus jam verificatur, quod pœnitens vere manet sollicitata, et vere confessarius sollicitat; at in nostro casu cum confessarius simpliciter sollicitatus

(61) Alludit ad constitutionem Greg. XV, incip. *Universi Dominici, etc.*, allatam a Lucio nostro sub v. CONFESSARIUS, art. 7.

(62) Hæc porro apud Del Bene: « Circa quam dispositionem Pontificiam (* de qua hic supra *) advertit, quod hoc arbitrium (* attenta dispositione Gregorianæ constitutionis *) non conceditur omnibus, sed solum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus congregationis S. Officii, et generalibus inquisitoribus, ut propterea cæteri inferiores processum compilantes non habeant hujusmodi arbitrium.

« Advertit 2 quod non potest formari prædictum arbitrium et judicium, nisi testes singulares sint talis qualitatis, et adminicula, indicia et præsumptiones sint talis conditionis, ut conjunctim habeant tantam vim, quod moveant et urgeant judicem ad judicandum, delictum esse commissum, sicque reddant delictum moraliter evidens; quia arbitrium et judicium debet esse regulatum secundum rationem.

consentit, minime verificatur, nec dici potest quod mulier sit sollicitata. Quando autem cooperatio confessarii dicenda sit simplex consensus, aut etiam mutua sollicitatio, id pendet a circumstantiis sermonis et tractatus, qui inter confessarium et pœnitentem intercedunt. » Ita in terminis D. Alphonsus de Ligorio, *Theolog. moral.*, De sacram. Pœnitent., nu. 681. Eademque habet in opere homo Apost., *De pœnit.*, cap. 8, nu. 173.

(72) Amplius ex sententia Jac. Pignatelli: « Non proceditur in S. Officio contra confessarium, qui extra locum et occasionem confessionis dicit mulieri sibi confiteri volenti, ut adeat domum suam, et adeuntem carnaliter cognoscit. Hujusmodi enim casus non est comprehensus in constitut. contra sollicitantes (61). »

(73) « Confessarius, qui post requisitam mulierem, an velit confiteri, et negative respondentem, sollicitat ad turpia, deposita prius stola, et extra confessionarium, non punitur in S. Officio. » *Consult. canonic.*, t. 1, consultat. 104, n. 14.

(74) « Quæres, an crimen sollicitationis ad actus inhonestos in sacramentali confessione sufficienter probetur per testes singulares?

« Tenendum est, non probari sufficienter per testes singulares, nisi etiam concurrerint adminicula, indicia et præsumptiones. Ita sancivit Gregorius XV, die 30 Augusti 1622, constitutione sua, cujus initium *Universi Dominici gregis*, in hæc verba: « Dan- tes etiam facultatem. S. R. C. cardinalibus « et generalibus inquisitoribus, ne delictum « tam enorme, Ecclesiæ Dei tam perniciosum « remaneat ob defectum probationum impu- « nitum, cum difficilis sit probationis, te- « stibus etiam singularibus, concurrentibus « præsumptionibus, indiciis, et aliis admini- « culis, delictum probatum esse, arbitrio « suo judicandi. »

(75) Ex quibus advertit Del Bene, *De offic. S. Inquisit.*, p. II, dub. 235, sect. 14, pet. 1, a. 2 (62): « Primo, quod hoc arbitrium non conceditur omnibus, sed solum S. R. E. cardinalibus S. Officii inquisitionis et generalibus inquisitoribus, ac propterea cæteri inferiores processum compilantes non habeant hujus-

« Advertit 3 quod testes singulares, quotquot sint, non sufficiunt, nisi concurrant adminicula, indicia et præsumptiones; quia Pontifex concedit facultatem judicandi, delictum esse probatum per testes singulares, concurrentibus indiciis, adminiculis et aliis præsumptionibus, cum quibus vult conjungi testes singulares. Necessarium igitur erit, quod conjunctim concurrant adminicula, indicia et aliæ præsumptiones.

« Advertit 4 quod licet Pontifex concedat, cum qualitas delicti, utpote difficilis probationis, sic exigat, ut probationibus minus legitimis; non tamen vult, quod eæ sint imperfectæ in suo genere.

« Quapropter circa qualitatem testium pro hoc delicto sollicitationis probando, non sunt admittendæ meretrices, nec aliæ femellæ viles, et fide non dignæ, sed tantum honestæ, quibus par est, ut habeatur fides. » Sic citat Del Bene, *De offic. S. Inquisit.*, part. II, dub. 237, sect. 14, pet. 1, n. 1 et seqq.